Disputatio medica inauguralis de theriaca / [Wilhelm Gottfried Gmelin].

Contributors

Gmelin, Wilhelm Gottfried, active 1720.
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Hiobi Franckii, [1720]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vxzr9zvw

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

THERIACA,

QUAM

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

Patrono & Præceptore suo Honoratissimo,

PRO

LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores legitimè consequendi,

Publico Eruditorum examini submittit

GUILIELMUS GODOFREDUS GMELIN,

Dresdensis.

Ad Diem Januar. MDCCXX.

Loco horisque consuetis.

TUBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII.

Σ. Θ.

Qui non dictus Hylas? Iliada post Homerum scribere: Crambem bis coctam recoquere: Et quicquid est proverbiorum talium, actum agere exprobrantium, metuimus, obvertent nobis, qui vix conspecto Disputationis nostræ Titulo frontem rugare videntur. Nos hisce quidem minimè repugnantes, fatemur tamen, intentionem nostram non esse, refutare illum, qui dixit: *nihil dici, quod non dictum sit prius.* Tantum de nobis non præsumimus; saltem *Dnn. Opponentibus* aliquid erat proponendum pro materiâ litis, & eâdem occasione dandum aliquid Amicis, de nostro Themate nobiscum discurrentibus. Scilicet *Dispensatio Theriacæ Publica* in Officinâ Pharmaceuticâ *Domini Patruelis*, eô tempore, quo absolutis pro Licentiâ examinibus erat de Disputatione Inaugurali cogitandum, prolixam videbatur subministrare materiam, ex novem libris decimum conscribendi libellum. Non agemus advocatum vel patronum causæ, academico potiùs more contrariarum partium sententias audiemus, in Theriacam enim quadrat & illud: *Laudatur ab his, culpatur ab illis*; judicio potius B. L. relicto, quàm nobis sumto, nisi ubi opus videbatur, modestè. Transeant hîc aliena, quæ fortè in Dispensatione Theriacæ observantur, siquidem,

notante & concedente Pharmacopœiâ Augustanâ Renovatâ, aliquid hîc opinioni & consuetudini, imò pompæ, si non apud vulgum proficuæ, saltem non damnosæ, dari solet. Nobis modò sit examini, quod fuit spectaculo nuper, & posthac erit usui publico. *DEUS benedicat*! Alexicacos enim mali averruncus non est nisi Ipse Ter Optimus.

Non uni *Literatorum* generi posset dari aliquid de Theriacâ. *Criticis* ante omnia hæc quæstio: Utrum, qui inter Galeni opera referuntur & passim citantur Libri de Ther. ad Pisonem & Pamphilianum, sint genuini, an sputii? quod quidem veri similius: scripti tamen sunt satis galenicè. Deindè *Pöetis* notum esto, Theriacam legi descriptam carminis genere non uno; Galeno Andromachus Autor dicitur equestri, filius pedestri, usus oratione; Superest enim ex antiquitate, tam carmen illius Elegiacum, quàm Damocratis Jambicum, nec deest Heroicum. Ex recentioribus citatur Eur. Cordi Poema; Odæ autem Sapphicæ M. Charas elegantes omninò merentur etiam legi, sunt benè multæ, numero vel 75. *Historici* sciant Marcum Aurelium Antoninum, qui Galeno l. 1. c. 1. d. antid. ex medio belli adversus Germanos per literas theriacæ compositionem mandaverat, metu tamen veneni familiarem ejus habuisse usum, utut Imperator Optimus, quippe Philosophus celebris post secula, non tam columnâ Romæ, quàm ad se ipsum dictis, benè stoicè. Esset aliquid pro *Philosophis* etiam *Corpuscularibus*, scilicet occasione per Theriacam datâ in Libro ad Pisonem Digressio adversus Asclepiadem & Epicurum qui negabat alterationem, & opera naturæ in atomos & moles (moleculas?) referebant: Nisi esset in cap. 11. libri illius dubii. sed de particulis Rec. & qualitatibus Vet. vid. *Boyle* tr. d. orig. form. Et, si non eadem obstaret ratio, ex mediâ pharmaciâ Galenicâ haberent hoc *Chymici*; sc. sal theriacale,

cale, cujus virtutibus & compositioni dantur ibi duo sub finem capita: sed cineres modò sunt viperarum & vegetabilium cum nimiâ farragine pulverum, ut vix placere possint Chymicis. Interim talium quoque habendam esse rationem vel Æthiops Animalis monebit. De viperâ quoque jam dum *Plinius* l. 29. c. 6: *Exuritur in olla cum sale, quem lingendo claritatem oculorum consequitur, & stomachi totiusque corporis tempestivitates. Hic etiam sal pecori datur salubritatis causa, & in antidotum contra viperas additur.*

Ratio nominis est *à viperis* & *ad viperas*: Aliàs non infrequens est vitium denominationis Confectionum ab ingredientium uno saltem, eoque sæpè non præcipuo, imò tali fortè, quo eleganter illa carere posset; exemplo ibi diascordii, & nîc pil. d. cynoglossâ. Inter *synonyma* fuit priùs *Galene*, non à Galeno, sed à tranquillitate; Sc. opium subest, à quo cur & quando quies vel perturbatio, quæstio est solicito digna examine. Etiam Antidotus audit ex Viperis: quo ipso veniunt quædam Theriacæ *æquivoca*. Nimirum *Plinius* l. 20. c. 24. Theriacam magni Regis Antiochi incisam lapidi versibus in limine ædis Æsculapii exhibet; sed hæc valdè simplex est, *nihil* habet *theriodes*, uti & diatesseron dicta. Et l. 14. c. 18. apud thasios vitis Theriace vocatur, cujus & vinum & uvæ contra serpentium ictus medetur. Transeant plura homonyma: Non solùm illa *Philosophorum Theriaca*, Adeptis reservata, quam vel mysticus ille viperæ circulus revolutæ ad caput caudæ, vel complexus maris & fœminæ signat, sed & quod Theriaca *Rusticorum* audit Allium: Et talis dictum Theriaca *Germanorum* Roob Juniperi. Theriaca autem *Danica* minor in Act. Haffn. Vol. 1. p. 36. fuit spiritus ex terrâ sigillatâ, vel argillâ flavâ cimbriæ, ex cucurbita vitrea non sine sale volatili destillatus, pro egregio vehiculo

commendatus in acutis omnibus; de quo videſis *Junkeni* Lexicon, & ſi placet ulterius *Beccheri* tam phys. ſubt. quàm min. aren. ubi ex luto, terris, ſilicibus, & arenâ medicamentum promittitur inſigne. Unde nota: ob theriacarum illarum & ſequentium plures ſcribendam noſtram cum additione *Andromachi*, ne quà ſumatur per errorem alia quæcunque.

Definitionem formaturus conſulat Logicos, quidnam conveniat pro Genere, an probent terminos artis, quales ſunt Electuarium, Confectio, Roob, &c. vel dare poſſint aptiores: Differentia ſpecifica num ſit deſumenda non tam à Laud. Autore, *Neronis* Medico, qui *Mithridatis* confectionem reformavit pro ſuo arbitrio, nec tam à *Galeno*, qui eam conſervavit, declaravit, &c. quàm ab *ingredientibus & facultatibus*, in compendio non facilè proponendis: Sunt enim non modò multa, ſed & valdè diverſa; prætenſa dirigi ad communem reſpectum *Antidoti*. Ex *Regno* quidem *Animali* vix niſi duo. Præter *Caſtoreum*, de quo deinceps, ſunt *Viperæ*. De quibus dicenda præcipua huc redeunt: Ante omnia Ipſas ut *venenum veneno opponi*, Veterum quibusdam fortè viſum fuit, Recentioribus non amplius; qui non ſaltem viperarum gelatinam ſcopo mundificandi, & carnes cum ſpinis ſiccatas ut alexipharmacas præſcribunt, verùm etiam ipſum ſuſpectum oris liquorem dilui & hauriri prætendunt impunè, non futurum venenum, niſi extus inſtillatum vulneri. Tranſeat ergò illud apud *Zacutum Lus*: Theriaca magna veneno affectos curat, & ſanos veneno afficit. De abuſu tamen rei bonæ ſatis commodè intelligi & explicari poteſt. Hoc autem hîc miramur, adverſus periculoſum adeò viperæ morſum, ad quem in conficiendo hoc remedio prior ac potior videtur fuiſſe reſpectus, tot recenſeri antidota, adeò

adeò inter se non convenire visa. Sc. *prater* ipsam *Theriacam*, insuper *vipera exta* devorari, *caput* contritum imponi, æquè autem *sal volatile urinosum*, ac *pomum citrium acidum* laudari, constat. Mirum, animale venenum vel esse acidum, cui conveniat alcali; vel si sanguinem coagulat, acido curari. Ne de *Scorzonerâ*, de *Tormentillâ Fracastorii* quid dicam; addi tamen omninò meretur *melissæ succus* cum *vino* haustus, ex *Actis Brixiensibus*. Ex viperâ autem *Pastilli*, qui theriaci vocantur à græcis, exstant jam in *Plinio*, l. 29. c. 4. Hunc legant, de modo parandi simul & de sermonis latini puritate cum curâ soliciti. Ingrediuntur utique Theriacam, & Galenus in ipsis conficiendis quasi rem magnam ageret, monuit cavendum, ne caro putrescat, ne panis acescat, &c. Ita servantur adhuc, & fide publicâ, ne fraus subrepat, muniuntur: Sed, qui trochiscis virtute magnam partem exutis non præferat dictam cum spinis carnem benè mundam, candidam, vix erit quisquam. Addidit *Plinius*: *significandum videtur, è viperâ tantùm hoc fieri.* Cur non ex *Angue?* cui nesse etiam remedia multa modò dixerat, ut Æsculapio fuerit dicatus? Undè quæstio passim obvia, de substituendis viperis *Germanicis*: utrum italicas calidiores virtute adæquent? Nobis de periculo *à morsu serpentum nostrorum*, quorum in viciniâ suppetit copia, hactenus non constat: Benè autem, poni ab his *ova*; Sic non esse viperas, i. e. *viviperas*. Fuit qui *cæcilias* in theriacam sumsisse legitur: sed quàm benè? Interim qui *Scincum* vidit, non potest non mirari, sumi tale quid in mithridatium & aphrodisiaca?

Ex *Regno Minerali* etiam habet Theriaca non nisi *tria*: Præter *Bitumen*, terebinthinâ solvendum, & tanti olim habitam *Lemniam Terram*, (bolus diascordio dat colorem & nomen germ.) est vexata *Chalcitis*. Sit ita, *chalcanthum* ipsi

posse

posse substitui, vel sono cognatum. Id admirationem movet, *Galenum* petiisse Istam ex *Cypro*; cupri ferace. Judicio quorundam, præstaret Colcothar omitti, tanquàm escharoticum & causticum. Certè plerique *Theriacæ* quos citabimus *Imitatores* in suis confectionibus id omittunt. *M. Listerus* Ex. d. hydr. ægrè tulit, chalcitin è Theriacâ, perindè ac Lapidem Lazuli ex Alkermes, voluisse omitti, rationem non addens, sed autoritatem modò Veterum, non ignarus æris metalli, & ens veneris perindè ac flores ammoniaci cœruleos laudare non ausus. Quod si ergò foret *vitriolum* tostum *cupreum*, an Theriaca vomitum moveret? vel num ab ingredientium cœterorum numero vel mensurâ obrueretur ejus energia? A circumforanei quidem per viciniam venditâ Theriacâ plerosque vomuisse constat; sed de causâ non item, quid ipsi fuerit permixtum. Ecquis enim fraudes detegat omnes, aut ex mixturâ tali ac tantâ dignoscat simplicia? Sumatur ergò Vitriolum *martiale* purum, veneris expers. Cæterum, si *Misy* super Chalcitin nascitur, per efflorescentiam, uti ærugo super æs, quantum à *minerâ martis* dicta *solari*, aut *pyrite usto*, per moram in aëre humido *quasi vegetante*, differt? Sed *quæ ratio* talis mineralis hoc loco? vix ad *nigrorem* modò conciliandum, quem cum adstringentibus ostendere solet. Ad fermentationem promovendam aliàs Vitrioli acidum non tàm aptum deprehenditur, quàm ad inhibendam. An ergò superest generalis ratio *Martialium*? Dubia, potior *adstringendo* vel *aperiendo*?

Ex *Vegetabili Regno* numerus ingredientium est longè maximus, reliquum omne in prolixo eorum censu venit ab illo vel ad sexaginta usque: Herbæ quidem, flores, comæ, ex *verticillatis* non paucæ; *umbelliferarum* potiora semina; *tetrapet. siliquosarum* non nisi duo; (quibus unum Sinapeos

fortè

ortè præstaret.) *aromata* verò & aromatica Veterum nota antùm non omnia; tandem *gummi*, *resinæ*, *gummi-resinæ* leræque omnes. Eminet *Opium*: Ad quod prius quàm accedamus, cæterorum non tàm singulorum, quippe quod rolixum nimis foret, quàm præcipuorum & in conjunctione antium, rationem habebimus, modo non uno. *Zacutus* nim med. princ. hist. quæstionem proposuit: *Utrum Theiaca nostris temporibus rectè parari possit.* Rationem dubiandi habuit, primò, pharmaca Veterum non pauca hoiè esse *ignota*; sed suppetunt pleraque, & suppetunt multa, ova, bona, veteribus ignota. Secundò dubitat ideò, quòd Theriaca nostro seculo *easdem non præstet facultates*, quas de jus vi Veteres prodidere. Mirum, hoc dixisse Ipsum, qui, t in seqq. audiemus, maximas ipsi laudes tribuit, & lonum laudantium recensuit numerum, Theriacæ certè non isi suo tempore confectæ. Quod si autem ipsa Eum fortè liquandò destituit, cur non meminit, hanc esse conditionem emediorum, ut nullum sit universale; quod dubio procul xperti fuerunt etiam Veteres cum suâ Theriacâ, & experintur subindè cum suis nimiùm laudatis panaceis, qui mant hyperbolas. Esse autem solet hæc una ex ordinariis xcusationibus, si quandò per excessum publicè commendaus medicamenti usus incipit remittere, sc. id non ampliùs eâdem parari dexteritate. &c.

Si *temporis* ratio Illi movit quæstionem dubiam, non mirum, alteram à *loco* desumi dubitandi rationem. Etenim huc omne spectat, quicquid contra *exotica* dici solet, quòd tardè ad nos veniant, non nisi vetusta, effœta, quòd fraudibus, mangoniis obnoxia, quòd in patriâ non habeant succedanea æquè bona, &c. Sed & hîc responsio foret non difficilis: Siquidem ea probari possunt omnia per in arte peritos, & quod bonum est retineri. Exemplo *opobalsami*, cujus

 una

una pars quarta in dispensatione laudatâ oleo nuciſtæ fuit adjunctam. Cùm ergò mercatorum lucri amor ſit operoſus in ſubminiſtrandis, quæ ab exteris merentur ob præſtantiam comparari, quod vel ſolo vini, aromatum, opii, &c. exemplis patet, non eſt quod conqueramur de defectu. Quisquis tamen *autarcian patriæ* docuerit, ſ. cum indigenis paria præſtare norit, nihil in ſui præjudicium dictum putet. Ergò Theriacam *confecturus*, antiquam quàm poteſt ſtrictè obſervet deſcriptionem: ubi *Pharmac. Auguſt. renov.* ſuccedanea, menſtrua, modum miſcendi & ordinem cum circumſtantiis ita deſcripſit, ut qui eam ſequitur & obſervat, non facilè erraverit, nec fine ſuo excidet. Theriacam autem *imitaturus* vel & *correcturus*, libero per nos ſuo gaudeat arbitrio, quin & capriccio. *Galenus* quidem ſingulari curâ in hoc negotio legitur verſatus, quàm ſolicitè pleraque deſcripſerit, ad rigoroſum usque mellis & vini examen, quàm cautè monuerit, præparationem non è libris, ſed ſub magiſtro eſſe addiſcendam, quàm facilè errores fortè commiſſos fuerit ſubodoratus, hæc & plura ex primo d. antid. libro prolixè, ut prolixus fuit ſcriptor, diſci poſſunt: Specimen tamen reliquit quàm obſcuræ fuerint Deſcriptiones Veterum, quæ deſumuntur à vagis & communibus accidentibus, omiſſis propriis certioribus & clarioribus; Certè quod Ipſi fuerit *cinamomum* dubium fuit. *H. Screta* quidem Cinamomi *Veterum* ſ. caryophyllorum, qui ipſomet Cortice excellentiores, drachmas duodecim, caſiæ autem ſ. cinamomi *Recentiorum* acuti, unciam unam ſcripſit pro extracto ſuo theriaco.

Dedit hoc *aroma* occaſionem joco ſerio. Ita enim Galenus l. 1. c. 14: *Satyrus Magiſter meus unam ex Quinti facetiis eſſe dicebat, aſſeverantis eos, qui duplum caſiæ imponere jubent, ſi cinamomo careamus, ſimilia illis facere, qui nos cenſent*

ſ

si quandò falerno caruerimus, illius, quod in cauponis venditur, duplicata mensura bibere; sig. panis similagineus desit, furfuracei duplum comedere. Hunc lusum noster sibi per distinctionem expediendum putavit, concedendo, de istiusmodi rebus, quæ duplicatò etiam nocerent, & de excellenti quorundam præstantiâ; cum talibus autem adeò similibus, ut casia ipsi & cinamonum, perindè comparatum dixit, ac quandò, quod peragendum foret ab uno homine robusto, si absit, à duobus imbecillioribus rectè perficitur.

Nec dum satis; Sunt rationes in adversum graviores, adversariorum Theriacæ plures: Et qui cum *Helmontio*, scholarum flagello, objiciunt *peccatum pluralitatis, disproportionis, contrarietatis ingredientium*, quasi simplicia, non pensitaverit sed numeraverit Autor, ad inconcinnam suam formulam, invicem pugnantium sylvam. Transeant, qui simplicia sibi relinqui, non confundi, sibi propriâ methodo usurpati, volunt: Habebimus massam nostram maximè compositam pro simplici, modò proficuam, salutarem. Inter censores tamen acerbos antesignanus *Plinius* hæc reliquit, quæ exscribere placuit ex l. 29. c. 1. ubi contra attonitas quorundam persuasiones, qui prodesse nisi pretiosa non putant, insurgit: *Theriace vocatur excogitata compositio luxuriæ. Fit ex rebus externis, cum tot remedia dederit natura, quæ singula sufficerent. Mithridaticum antidotum ex rebus LIIII. componitur. Interim nullo pondere æquali, & quarundam rerum sexagesima denarii unius imperata. Quo deorum perfidiam istam monstrante? Hominum enim subtilitas tanta esse non potuit. Ostentatio artis & portentosa scientiæ venditatio manifesta est.* Ita ille Græcorum & Medicorum insectator, in quibusdam non malè, in multis aliis facilè corrigendus, in viam ducendus. Pluribus aliis supersedere possumus, omnes enim superavit citandus

 proin

proin quàm maximè *Rivinus* censurâ suâ universali: an no nimis acerbâ? *De compositis qualiacunq; sint constanter statu deleantur in totum. Indignus namq; titulo Medici videtur, qu non quotiescunq; velit ex tempore meliora, & ad ægrorum que rumcunque statum magis accommodata præscribere valeat. &c.*

Audiamus & ex alterâ parte Theriacæ Patronos; quo inter primas fortè possit tenere *Zacutus*, qui vel ex hoc ca pite *Galenum* laudavit, Medicinæ Parentem, Virum sar pietate, mirâque in genus humanum benevolentiâ affectun qui tantum tamque pretiosissimum præsidium subticeri no fuerit passus, &c. *Quare hoc pretiosissimum Antidotum no ab Andromachi mente, Galeni Marte Ingenuo, Principum M dicorum assiduo experimento: sed à supremo objectorum omniu Opifice, bonorum omnium Datore, originem duxisse verè affi mandum est, qui humani generis misertus, maximo honoris cu mine, & fulcro in hominum mentem, tàm sacrum, tàm præstan tàm excellens alexipharmacum introduxit, ut in iis, & simi bus operibus, ejus majestas, benignitas, & Philanthropia à nol palpari, illustrari, & veritatis, sapientiæ miraculique elogio co celebrari queat.* Accedant Stropharum quas laudavimus pr ma & ultima Charasii: *Θηρίν portans Opiata nomen Reg bus quondam celebrata, nescit Quicquid oppugnet, sibi compar tam Perdere famam. Prospero summas Opiata ab usu Possidet la des, nec habes in orbe, Pharmacum morbis, simul ac venen Tutius ullum.* Sic laudat venales qui vult extrudere merce Nobis medium tenere consultum videtur in æstimio contemtu Theriacæ.

In præjudicium Theriacæ Andromachi venerunt mul confectiones ad imitationem vel & correctionem ejus à v riis paratæ. Ipse *Galenus* singulari libro de antidotis plu recensuit; *Nicolaus*, Myrepsus Alexandrinus, à *Fuchsio* quo

da

dam nostro conversus & editus prolixum valdè numerum exposuit; Accesserunt ultimis seculis Electuarium *de Ovo*, (cujus benè mentionem fecit *Wepferus* in Cic. aq. cap. d. nuc. vom.) *Orvietanum* &c. Inprimis in Theriacæ ferè locum passim successit *Diascordium Fracast.* tanquàm simplicius, temperatius. Et quis non probet Electuarium *Ludovici*, in diaphoreticas exspectationes sufficientissimum, Theriacæ omni aliisque compositionibus operosioribus par, imò nonnunquàm convenientius, tenerioribus quoque & gravidis innoxium, &c. verbis *Em. Kœnig* in L. E. Item egregias virtutes possidere dicta *Scretæ* Confectio Alexipharmaca, l. d. febr. castr. descripta: Nec tamen hæc in officinas recepta novim. Non defuerunt autem, qui quasi Theriaca non esset satis composita, ipsi adhuc superaddiderunt benè varia, quisque pro fiducia, quâ ferebatur in hoc illudve ex novis simplicibus. Ultra modum ita progressus fuit *Matthiolus* in suo antidoto, ne quid omissum videretur, aut ulli querelæ præteritionis esset locus; sed in Pharm. Aug. jam invenitur inter minus usualia. Recentior est Pasta *Sudorifera Helvetii* in Praxi ipsius Gallicâ cum laudibus benè magnis recensita. *Sic. per additionem, subtractionem, transpositionem fieri mutationes, docetur in physicis.* Sic in theriacâ multos offendit *mellis* triplum, triplum illud mellis toties exprobratum; cur in drachma Theriacæ non nisi quindecim grana materiæ medicæ? Cui bono reliquum mellis, dulcis, acris non convenientis promiscuè omnibus personis. Fieri quidem illius accessu *fermentationem* & quandam quasi essentificationem, ad nescio cujus novæ formæ & qualitatum originem, sunt qui prætendunt: Sed alii sua alexipharmaca sine melle in formâ pulveris prostare maluerunt, si quis bolum velit ex tempore redigenda in hanc formulam. Et Diascordium hi cum *Syru-*

po granatorum, illi cum *papaveris* parari voluerunt, qui diversum sibi proposuere scopum.

Nec dum satis: *Chymici* resolvere, conjungere, corrigere, concentrare soliti, etiam reformarunt Theriacam. Ubi ante omnia Theriaca *Cœlestis*, primò arcanum Aulæ Wurtembergicæ, posteà variè passim tentata, e. g. in laud. libr. *Scretæ*, & in lexico *Junkeni*, &c. quam quot subsecutæ sunt pilulæ Theriacales (e. g. in *Pharm. Aug.*) compendiosiores, & *bezoardicæ*, (e. g. Excell. Domini Præs. B. Parentis.) tot præjudicia fuerunt Theriacæ Andromachi, ut rarioris passim hæc fieret usûs, dum ea invaluerunt satis feliciter. Et est ratio pro his: Electuarium illud nec odore nec sapore ita delicatum est, ut per se gratiam mereatur; at paucæ, parvæ pilulæ facilè assumuntur, sine offendiculo, ut in proverbium abierint & symbolon, *pariter injurias non esse masticandas, sed deglutiendas.* Et quid dicam de *guttis* adeò ad palatum multorum, de *cochleari spiritus vini*, variè quoque Theriacâ tincti? Prostant passim *Essentiæ*, *Tincturæ*, *Aquæ*, etiam cum vino, aceto paratæ, *Spiritus Theriacales*, de quibus hîc præstat tacere, quàm parùm dicere. Commendabimus Lectori considerandum *Elixir Theriacale Helvetii*, cum laudibus magnis, non sine methodo, nec tamen sine exceptione mali, remedio interdum majoris, ab Autore descriptum. Remittimus etiam ad *disp. Inaug.* d. mixt. simpl. *Fratris Natu Majoris, Dn. Johannis Philippi Gmelini, quem ductorem & socium studiorum ob affectûs sinceritatem ut par est amo, colo, mihi gratulor.* Novissimum ferè medicamentum Theriacæ succedaneum in usu familiari per ædes nostras est *Elixir* illud, à *G. Kirchio* primùm nî fallor in calend. prioris sec. luci publicæ expositum, quod ipsi *Theriacæ* addit *aloën*, *myrrham*, *crocum*, *gentianam*, *rhabarbarum*, *&c.* Dolendum modò in omnibus ferè inconstantes

ſtantes adeò eſſe animos mortalium, ut, quod modò non tantùm approbaverant, ſed & miris modis in cœlum usque extulerant, brevi rurſus dimittant, de aliis ſubſtituendis circumſpicientes. Ut quod de vocabulis pöeta, forſan tranſtuleris ad remedia: *Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentq́, Quæ nunc ſunt in honore.*

Pergendo in cenſu rationum *pro* & *contrà*, potiores videntur eſſe, quæ deſumuntur ab ipſo *Uſu* Theriacæ. A longâ retro antiquitate citatur *Probatio* Ipſius duplex: altera cum veneno, altera cum purgantibus. Sc. *brutis*, gallo e. g. hoc medicamentum infuderunt, & objecerunt eum poſtea venenatæ feræ: *qui biberint*, ajunt, *roborantur, & à morſu vitam retinent*; *qui non biberint de Theriacâ, confeſtim moriuntur.* Similes hiſtoriæ exhibiti *hominibus* veneni, & ſubjuncti antidoti, vix alibi leguntur æquè auctoritate publicâ in præſentia medicorum factæ, ac in comment. *Matthioli* ad aconitum Dioſcoridis: In Præf. autem libri ſexti manifeſtantur etiam *fraudes impoſtorum*, venena, ut fidem faciant ſuæ Theriacæ, in publico theatro aſſumentium. Quemadmodum operæ pretium foret prius imitari, ſic & alterum ſcire juvat, ne qui facilè credit decipiatur facilè. Voluit autem illud produci in exemplum, ad docendum, quàm ſit melius *prævenire* quàm *prævenirí*. *Nec enim Theriaca eam vim habet*, ſcribente Galeno, *poſt venenum accepta, quàm antè ſumta habuiſſet. Portio antidoti, quæ prius & ſemel hauſta tutum à morte quempiam præſtitiſſet, ea venenum ſubſecuta niſi ad quadruplum vel quintuplum ſumta non juvabit.* In hiſtoria *Rex ille Ponti* fertur quidem quotidiano longo ſui antidoti uſu eò deveniſſe, ut cùm victus Pompejo vellet non potuerit ullo perimi veneno, ſed gladio perit conficiendus. *Heucherus* tamen Diſſ. ſing. cui Titulus, *Mithridates*, defendit hanc Theſin: *nullum dari medicamentum,*

tum ſ. ſimplex ſ. compoſitum, quod ſæpiùs licet atque iterum ſumtum, alexipharmacum veluti reddere, aut ita præparare poſſit hominem, ut ab omni veneno immunis tutusque vivere valeat; quod ex venenorum inprimis varietate & diverſitate fit veroſimile. Cautè tamen *Maur. Hoffmannus* in Botan. Lauremb. ſuaſit *Studioſis Botanices*, ut ne unquam itineri ſe committant, ſine theriacâ, vel diaſcordio, quorum quidem hoc caloribus æſtivis ſit convenientius.

A' *venenis* iſtis tranſibimus ad venena *contagionum*: Ita enim Theriacæ patroni procedunt, eam in peſtilentibus inſuper conſtitutionibus laudando, & comparando cum Igne, quo *Hippocrates* Græciam liberarit, ſic antidotum præſervare & curare diræ luis ignem. Ratio ſpei datur in Pharm. Aug. & modus agendi declaratur ita: *Conducit, non tam animoſitatem aliquam, opii propter acceſſum, inſpirans, quàm potius non exiguâ ſelectiſſimorum alexipharmacorum copiâ venenatum miaſma oppugnans.* Verùm enim verò multùm his decedet, ſi pluribus fuerit confirmatum obſervationibus per annos malignitatis nuperæ, quod alicubi in grande præjudicium Theriacæ fuit ſcriptum. Hæc in literis *Gedano Vratiſlaviam* miſſis in peſte valdè dicitur fuiſſe noxia, ut etiam publicè fuerit interdictum Officinis Pharmac. eam tunc divendere; præſervationem quoque cum ipſâ tentatam caruiſſe ſucceſſu, non obſtante ſperatâ ſanguinis balſamatione, & promotione diapnoes. Additur autem ſpeciale phæmonenon: Sc. *à theriacâ ſolenniter petechiæ*, cum morte ſubſequâ. Non parum theriacæ præjudicabit etiam *Praxis Stahliana*, per quam rarus legitur ejus uſus. Index Junkeri ſatis exquiſitus ei ne locum conceſſit; in cap. tamen d. dyſent. ſi materiales læſiones remotæ eſſent, theriaca aliis præfertur: ſed in *peſte*, antiquorum hoc divinum remedium fuit bonâ magis intentione, quàm effectu, & ſub promiſcuo uſu, opii notabilis quantitas non potuit non diſplicere.

Alius

Altius hoc repetendum foret[a]: Cùm *adversus malignitatem febrilem* in possessione quasi essent *theriacalia*, venit post & inter alios *Sydenham*, illam negans, hæc sub titulo cardiacorum calidorum damnans, imò *ipsis* adscribens phænomenon triste *petechiarum*, tanquàm calidioris *regiminis effectum*. Huic subjunge, quæ *Harris*, de fato *Reginæ Angliæ* variolis extinctæ, imputat *theriacæ*; cum notâ tamen, *doctrinam imputationis in actu exercito sæpè applicationis esse dubia*. Successit *Mortonus*, distinguens inter febrem magnam, & prævalentem malignitatem, illi corticem, huic alexipharmaca dando, eaque inter Theriacam. *Listerus* autem de variolis in specie utriusque methodum, sc. frigidam & calidam, scepticè videtur transmisisse, cum utrâque & sine utrâque æque multos convalescere oggerens. Primus tamen istorum plures habuit sequaces, in tantum, eosque inter *Hamiltonum* in febr. mil. fermentatoriam expulsionem sub nimiâ turbarum concitatione non posse feliciter procedere monentem. Dignum hîc inter alia benè multa erit examine *Dnn. Opp.* thema duplex: *Utrum efflorescentiæ istiusmodi malignæ tunc non fuissent venturæ, si Theriaca data non fuisset?* Et, *quàm malum videatur signum à dato in malignis sudorifero conspectus macularum*? Ne quis tamen putet, idem videri omnibus, & cum Theriacâ in dirâ lue quasi actum esse, operæ pretium erit evolvere *Eph. Nat. Cur.* & inspicere *Obs.* 30, *Cent.* VI, ubi febri pestil. polon. diascordium & theriaca leguntur data non ad ʒj. sed ad ʒiij. quin ad ℥ß, & provocatur ad doseos tantæ suasorem, *Borrichium*. &c. Sc. facile est monere ex Galeno: *eâ moderatione esse assumenda antidota, ut nec præ exiguitate vincantur, nec præ copiâ lædant*; sed per individua id observare, & suum cuique tribuere, in praxi non ita facile est. *Spectat* ergò illud *ad medicinam heroicam*, successu laudari solitâ. Nota tamen, doses istas ibi legi non sine exceptionibus, cautelis, vehiculis, qualium & nos in seqq. habebimus rationem.

Fuerunt

Fuerunt ex *Italis*, qui *lui pecorum*, illi grandi, inter alia etiam opposuerunt *chinchinam* cum *Theriaca pauperum* & *diascordio*. *At Societas Medica Genevensis*, ex hypothesi, convenire febrem ibi exanthematicam boum cum variolis hominum, etiam cardiaca talia calidiora non probavit, indicationi materiæ morbificæ diminuendæ & evacuandæ aliter satisfacturæ. Nos quidem non novimus, etiam illi pesti vel frigido vel calido potuisse consuli, sed dolemus ignorari specifica, testimonio stragis tantæ in longum & latum. De *corticis* autem cæteroquin cum *laudano* & *diascordio* conjuncti exhibitione ad vehementiam spasmorum, dolorum, fluxuum, *Mortonus* passim, nec malè, ubi de proteiformi febrium genio, egit.

Altera *probationum* Antidoti hujus citatur fieri per *purgantia*. *Hæc si præsumtâ Theriacâ non operentur, Theriacæ non adulteratæ criterium habetur.* Ingrediuntur quidem ipsam purgantia quædam sed sub numero & copiâ aliorum obliterantur: *asarum, agaricum, rhabarbarum,* (dubiè, quia *Ponticum* scribitur,) & *gummi resinæ* purgantes; quibus, si liceret quærere, cur non accessit *ammoniacum*, & *aloe*, frequentis ut olim sic hodiè usûs & mixturæ variæ scopo tam alexipharmaco, quàm servandæ alvi. Certè, qui *aloen opio* miscuit, pilulis suis talem titulum dedisse dicitur: *Surge amice & ambula.* Sic non absurdum foret, diascordio & theriacæ jungere purgans: ceu *Mortonus* extr. rudii cum laudano dedit, & copiosas inde cum bombis dejectiones notavit. Huc spectaret *Mercurii dulcis* vis purgatrix, ne ad alvum sed ad salivæ potius fontes determinetur, in Theriacali bolo exhiberi solita. Non est, quod hîc prolixè memoremus, notorium enim est, *Theriacam* ita ordinarium esse *Hypercatharseos remedium*. Et opponi pariter non malè alvi fluxibus, etiam epidemiis malignis, dysenteriæ ipsi. Ratio efficaciæ fundatur in *Opio*, cum creditis suis corrigentibus: inter quæ primum *Castoreum*, per

se

ſe quidem virtutis nervinæ, expulſivæ, alexipharmacæ, opio tamen inprimis dari ſolitum, adeò ut fuerint, qui audebant quærere, *ſine his duobus ſi foret, quid valeret Theriaca?* Ex hipotheſi autem, *frigus narcotici* ſic requirere, acceſſerunt tot *calida*, ſicca, acria, &c. Sc. uti vix fuit compoſitio Veterum ex prolixioribus & nobilioribus, adeoque deſtinatis uſui univerſaliori, cui non indiderint opium: ſic ordinariè ipſi ſociarunt ſarraginem aromatum, quaſi condimentorum. Neutrum probatur multis Recentiorum, quin ut priùs ex capite caloris, ſic nunc ex altero narcoſeos, metuitur, negligitur à non paucis Theriaca.

Non eſt hîc agendi locus de Opio pro dignitate; quanquàm mega lian ætema præbeat, tam de modo agendi, ſanè non ita facilè explicando, quàm de uſu controverſo, cauto, ne temerè, ne timidè. Theriacam modò noſtram concernit dubium: An ſit nobis hodiè *Opium*, vel *Meconium*? quicquid ſit, potens eſt narcoſi noſtrum. Item obſervatio, cùm *fermentatio* dicatur novæ formæ productrix, exemplo panis, vini, *opii* tamen *virtutem* ab ipſâ *non mutari*; unde diſcrimen in praxi obſervandum, inter *theriacam recentem* potiorem & graviorem vi opii & *veterem*, morâ temporis longâ quæ quid remiſit vel deperdidit. Nota etiam meretur eſſe Proportio, quantum e, g. in theriacæ drachmâ ſumatur opii? Duo grana, nimium videtur; an calculi error, vel vitium typographi, in Lex. Junk. Tandem omninò huc ſpectat quæſtio: *Theriaca ſine opio ſi foret an ſudorem moveret?* Nobis ſine ipſo paratâ uti non contigit: roob tamen juniperi & ſambuci vulgò ſudores novet, ſine ipſo.

Paradoxum autem effectum deprehendimus citari, ſc. opii & *theriacæ* uſum *adverſus ſudores* importunos. *A. Pitcarne* rem ſic explicuit: *Opium aptum eſſe ſedandæ tuſſi, agitatione cor-*

poris immodica sudores augenti; & cortici peruviano adjunctum tussim, ac ab ea excitatos sudores imminuit; at si opium incomitatum hecticis tussi vacuis inferatur, sudores semper excitat. Ille autem d. Ther. ad Pison. ita: *Quod in Cardiacis sæpènumero conspicitur, maximum est opus Theriacæ: nam cum multis & continuis sudoribus corpus diffluat, atque ita vires dilabantur, ut nec exhibitum vinum succurrere morbo valeat, antidotus ebibita & sudorem opprimit, & concidentem ægri virtutem veluti suscitat, ex infirma valentem reddit.* Huc referre possum singulare Experimentum *Primogeniti Fratrum Meorum Honoratissimi: Sc. Dn. D. Georg. Frider. Gmelin, Serenissimi Aulæ Medicus Celeberrimus, mihi* per literas testatus est, Pastoris conjugem post perpessos jam diuturnos dolores cardialgicos, & sudores largiores colliquativos, solâ frequentiore assumtione Theriacæ fuisse curatam; quare adhuc quovis mane pisi magnitudine soleat sumere tali cum successu, ut melius appetat die illo, ac aliàs sine theriacâ.

Quia conjungitur ibidem usus Theriacæ ad *menses* etiam quod mireris tàm *sistendos* quàm *movendos*, & aliis etiam medicamentis *contraria* interdũ facultates tribui solent, quid ergo videtur de benignâ interpretatione paradoxi, quæ mox subjungitur: *Sc. antidoti virtutem esse multiplicem & variam, ob diversam subjectorum dispositionem, quædam enim egredi facit, cum ipsa attenuet & diffundat, quædam ob imbecillitatem virtutis immodicè prodeuntia supprimit, vires instaurans.*

Sunt multa in libro citato Ther. ad laudem attributa, fortè nimis multa, quorum pauca hic excerpere liceat: Commendatur ipsa adversus *lumbricos*, quos potenter strangulat, atque ita ventriculum ab insatiabili comestionis desiderio liberat: mirabiliter etiam ejicit maximum & latum illum vermem, qui susceptum omne nutrimentum devorat, atque ideò reliquum corpus extenuat. Huc retuleris illud *Gassendi*

ex

ex vitâ *Peireskii*, de caniculâ, cujus obitum dominus ægre tulerat, lætatus tamen ob factum circa illam experimentum: cùm enim in ejus cadavere inveniretur *series curcurbitinorum*, ab adhibitâ illi theriacâ observatum fuit non sine stupore, ipsam statim liquescere, & effluere in declive; hinc alter mox catellorum ipsi superstitum exhibitâ theriacâ convaluit. Addi posset *Epilepsia pueri ex vermibus* orta theriacâ curata, apud *Zacutum*: qui priùs *assiduare* ipsam, quod epileptico suaserat *Rhases*, ad antiquam illam, & casum à causâ frigida, restrinxerat; confer si placet *Heurnium* ad aph. 7. s. 5.

Sed nimis excrescit Disputatio; misso itaque usu externo laudato ad metuendam à *morsu maligno* hydrophobiam, (uti quidem cum *spir. vini* omni suspecto s. vulneri s. tumori extus imponere juvat.) properandum est ad *Cautelas Practicas*, sub quibus theriacam esse dandam sparsim monetur. Redeunt autem huc: *Ne quid nimis! ut tempestivè! præmissis præmitendis; conjunctis conjungendis; habitâ ratione morbi, personæ, temporis, loci*, &c. *Excessus* fuit, cùm olim crasso errore pro theriacâ *Andromachi* sumeretur theriaca *cœlestis* in *conservam suspensoriam Veneri*, & absumeretur ad noctes non multas: item cùm loco *pilularum quindecim* de *succino* deglutirentur *totidem* earundem *theriacalium*; undè calor, sudor, tantum non octiduanus. Sed à simili aberrationis principio voluit deduci gravius fatum Viri sub circumstantiis tristioribus. *Beccherus* in phys. subt. ubi de ferm. febr. per diaphoretica fixa potius tractandâ, quàm per theriacam agendâ in caput, subjunxit exemplum cujusdam, sani quidem, sed ab usu nimio *pustulas hepaticas* in facie qui accepit, ac si lue gallicâ laborasset.

Nimium & intempestivum fuit illud *Antonini*, *qui ut se à veneno tutum præstaret, singulis diebus tantum theriacæ, quantum est ægyptiæ fabæ magnitudo, sumsit. Sed cùm ipsum quotidiè*

inter vitæ functiones quoque profundo somno corripi accidisset, papaveris succum eximi jussit. Quare evenit, ut quia multis jam mensibus exiccantem antidotum accepisset, plurimam partem noctis insomnem duceret. Quamobrem coactus est, denuò theriacam assumere, quæ opium contineret. Tantum valet consuetudo, & tàm cautè procedendum in introducendâ consuetudine dubiâ. Sic autem ille quidem theriacæ vitia & virtutes benè dignoscere doctus facilè creditur Galeno.

Theriaca tanquàm species sub genere stabit etiam in illo Poëtæ: *Temporibus medicina valet, data tempore prosunt, Et data non apto tempore vina nocent.* Idem *Pergamenus* 1. ad Glauc. c. 11. de *medicamine ex viperis* ad *quartanam* dando, *non nisi post vomitorium, nec quamdiu morbus crudus*, legi meretur, quoniam à perversâ methodo non modò nullum successum, sed & malum eventum minatur. *Ille ad Pisonem* sub finem cap. 15. planè similiter procedit. Et ex *Pharm. Aug: Præbetur in omnis generis rigoribus diuturnis, maximè verò quartanis, si quis eâ post inclinationem utatur; in biliosis verò febribus vitare oportet.* De Mithridatio autem: *Ad febres quotidianas initio accessionum, coctâ jam materiâ, avellanæ quantitate cum vino vel aqua, cui Salvia vel Mentha sit incocta, in aliis autem vespere sumta vel admota, efficax exsistit.*

Sic oportunum veneno remedium post vomitorium fuit *Wepfero*; quanquam Theriacam cum aceto suis periclitantibus à cicutâ vomitum movisse observavit. *Musgravio* etiam non nisi præmissis evacuationibus est Theriaca in censu *podagrogorum* s. arthritidem internam expellentium: Podagricis ergo quæ promisit olim, de proficuo & tuto theriacæ usu sæpè citatus libri ad Pisonem Autor, intelligenda erunt de isto casu & modo, quem & observandum monuerunt *Augustani: Podogrâ adflictis & arthriticis conducit, post inclinationem multoties*

toties pondere drachmæ unius pota, pro viribus & ægri temperamento. Talem quoque *successionis medicamentorum ordinem* servat *Hamilton* in febre miliari: *si theriaca aliave opiata usurpanda viderentur, opportunè id fit, post apposita vesicatoria, quæ pravos opiatorum effectus inhibent.* Tandem alteratum refrigerantibus corpus fert meliùs subjungi calidiora talia.

Denique vehiculi pro theriacâ nunquàm non fuit habita ratio, diversi pro affectuum diversitate, cum vino vix nisi cùm fuerint absque febre. Quid autem *de calore* toties vel adeò sumus soliciti, dum vulgus *ipsam* haurit, vel *in vini Spiritu*, Medico non consulto. Transeat cum cæteris. Quid porrò videtur de illo discrimine antiquitatis, quo ad *hæmoptoen* si *recens* malum est, è *poscâ* bibendam theriacam, sin antiquum est, *symphyti decocto*, incipiente nocte dedit? *Zacutus* ubi modò scripserat: *neque timeas febrem in pestiferis, neque calorem theriacæ*, mox in seqq. subjungit *limitationem* non unam, à tempore, loco, personâ, &c. cum monito, *permiscendam frigidis*, ut *acido citri, limonum*; contrà tamen in contrariis. *Henr. Screta* libro d. febr. pestil. qui Dresdæ prodiit, è *MSCto B. Parentis*, multus fuit in inculcandâ eâdem regulâ generali, de non præscribendis tunc theriacalibus, nisi cum acidis.

Fracastorius malignitatis summo gradui remedium majus non norat, quàm sui diascordii drachmam, & specierum cordialium duos scrupulos, cum aceti, & succi citri ana unciâ unâ, succi Lujulæ duabus; pro haustu. Unde hîc non prætermittenda *J. Franci alleluja*, s. electuarium gravi tempore Ipsi familiare, constans theriacalibus conservæ acetosellæ permixtis; cum *Butleri* specifico, mithridatio in duodecuplo conservæ. Quid ergo vetat, quominus cum *diascordio* detur & *nitrum*: cujus quidem in Praxi Clinicâ *Fr. Hoffmanni* occurrunt specimina. *Theriaca* autem *è Citro* facilis erit imitationis,

tionis, excipiendo ſpecies conſervâ & ſyrupo corticis & ſucci Citri.

Eſſent talium, quæ excerpi & proponi poſſent, plura ut conſtaret publicè, de *Prudentiâ Practicorum*, quam in præſcribendo theriacam & obſervarunt Ipſi, & commendarun Aliis; habendo rationem tam *ætatis*, (pueris certè ipſam ve non vel non niſi parcè conceſſerunt) quàm *temporis* & *loci* ſc. per differentias *æſtatis* & *hyemis*, *regionum*, *temperamento rum*, *morborum*, &c. Item *de Comparatione Theriacæ* & *Mithri datii*: De *Diſpenſatione* non tam in ſimplo quàm *in multuplo* ut duret maſſa melius: De *ordine* & *modo permixtionis* tot *In gredientium*. &c. Sed iſta modò ſufficiant.

Quid ſupereſt, niſi ut ad finem diſputationis *ſuadeamu precemur*, *Uſum Noſtri Remedii Prudentem*, *Benè Proficuum* & agamus Deo T. O. M. gratias; cum devotâ ſimul implora tione Benedictionis Divinæ per Praxin noſtram Medican

---

DRESDA Tibi vitam 1.) dedit & me 2.) nutriit, una
Sic bene nos junxit 3.) menſa, juvante DEO.
Et 4.) PATREM PRONOEA Tuum divina beatum
Ad Patres quondam duxit, Avosque meos.
Sit { Tecum / Mecum } ſemper Patrum DEUS unus, & Idem
Noſtrorum, ſic ſtat firma utriusque ſalus.

1.) A. MDCXCV.

2.) A. MDCCIII. IV. V. cùm Sereniſſ. Principi ac Dno. Dn FRIDERICO LUDOVICO, Duci Würtemberg. nunc S Cæſ. Majeſta Campi Mareſchallo Locumtenenti, Principi ac Domino meo Clementiſſim eſſem à directione Studiorum & Sermonibus ſacris.

3.) A. MDCCXVII. XVIII. MDCCXIX.

4.) Excell. Pater Nobiliſſ. Domini Licentiati à B. meo Avo Dn. Lic. Pregize Moralium Profeſſore, Avoque meo Materno, B. Dno. Brotbequio, Medic. D. Prof. inſtar Filii fuit habitus.

Nobiliſſ. Dno. Licentiato GMELINO, Cognato, Commen & Fautori ſuo Æſtumatiſſimo adplaudit.

M. Georgius Conradus Pregize
Eccleſiæ Tubing. Diaconus.